



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733


VD18 12431648

Consideratio C. Moritur Jesus, vita nostra in cruce, & in Patris manus
commendat spiritum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

7. Et ideò post mortem suam tam violentam aperiri sibi voluit sacratissimum pectus suum, ex quo promanavit sanguis & aqua, per quam effluxionem, prout observat S. Augustinus, figurata sunt Sanctissima Ecclesiae Sacramenta, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. *Jo. 19. 34.* Ecce quomodo etiam in hoc ostenderit zelum salutis nostræ, quia ex crudelitate etiam, quam milites in eum exercuerunt, noverat immentum elicere thesaurum, videlicet SS. Sacramenta, quæ nostras sanctificant animas. Ideò eum clamore valido expiravit animam, ut lucraretur animam Centurionis, hominis Gentilis & increduli: *Videns Centurie, qui ex adverso stabat, quòd sic clamans expirasset, ait: Verè Filius Dei erat iste. Marc. 15. 39.* Ideò in corpore glorificato SS. quinque Vulnerum stigmata reservare voluit, quia prævidit unum ex Discipulis suis futurum incredulum, neque etiam sibi resurgenti crediturum: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Jo. 20. 25.* Supra quod pereleganter S. Joan. Chrysostomus: *Considera, inquit, Dominatoris clementiam, qualiter & pro una anima ostendit seipsum vulnera habentem, & accedit, ut salvet illum.*

Disce ex his zelare salutem animarum.



CONSIDERATIO C.

Moritur JESUS, vita nostra in cruce, & in Patris manus commendat spiritum suum.

Et clamans voce magna JESUS ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hac dicens, expiravit. Luc. 23. 46.

I.

DAVID cum moraretur in deserto Maon undique ab hostibus circumcinctus, & exercitu Regis Saulis ex omni parte ad eum perdendum diffuso, ita ut nullus ei pateret effugii locus, oculos suos ad cælum humiliter levavit, postulans impensissimè, ut Deus animam suam ex hoc misero ergastulo liberare dignaretur, ut sic unguet dæmonum & hostium huic prædæ avidè insidiant-

Psal. 30. 6. diantium posset evadere: in quem finem ad DEum exclamavit: *In manus tuas commendo spiritum meum.*

David sicut in pluribus, ita etiam in hoc typus Christi fuit in summis doloribus ac persecutionibus in cruce paulò ante mortem clamore valido ad Patrem clamantis: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Hic locus Psalmi trigesimali, ait Le Blanc, de Christo est, qui cum omnia aliis diversis tradidisset, Apostolis pacem, tortoribus corpus, inimicis veniam, latroni paradisum, Joanni Matrem ac vicissim Matri Joannem, militibus vestes &c. restabat sola anima, sed omnibus longè præstantior, quam Patri testamento suo legavit, ut filialem de Patris benevolentia & amore fiduciam declararet, & sic indicaret libenter se mori, ei que offerre animam tanquam pretium nostræ redemptionis:

1. Cor. 6. 20. *Empri estis pretio magno.* O infinita charitas!

2. Gedeon Hebræorum Dux fortissimus hostiles Madianitarum copias clamore fugavit, atque devicit, cujus cum trecentis suis militibus armatura fuit gladius, lampas in vacua lagena, tuba & clamor unanimis: *Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite; & conclamate, Domino, & Gedeoni.* Gedeon, ait Cornelius, typus Christi fuit, lagena contracta ejus humanitatem designavit in cruce per tot vulnera contractam, lampas ardens in lagena inclusa, erat immensa illius charitas, tuba Verbum Dei, idcirco clamans expravit, quia Verbum erat. Ille hostiles debellavit copias, Christus infernalem exercitum: *Non ferro, sed ligno.* Prout ait S. Augustinus; Et cum jam ageret animam, clamans voce magna: *Pater, aiebat, in manus tuas commendo spiritum meum.* Hæc morientis Redemptoris in cruce suprema fuit oratio, unde Evangelista: *Et hæc dicens expiravit:*

Pater, dixit, in primo verbo dimitte illis, ò quale solatium peccatoribus verè poenitentibus: Pater, dixit in ultimo verbo, in manus tuas commendo spiritum meum. O solamen omnibus in Christo morientibus. Adverte, Christus stans coram Judicibus magna ex parte siluit, cum morte congressurus clamavit, ac si diceret: Ecce hic est capitalis hostis meus, hic mihi debellandus, mors & diabolus: *Fortis sicut mors dilectio, dura sicut internus amulatio.* Et ecce uterque horum hostium devictus est; Vicit Christus, & victoriam morte consignavit, ac promulgavit illam sub ipsum è vita discessum: *Mors mortua tunc est, in ligno quando mortua vita fuit.*

Habac 3. 5. 3. Rectè Habacuc de Christo in cruce moriente: *Ante faciem ejus ibit mors: Egredietur diabolus ante pedes ejus.* Observa: Christus, prout dictum est, in cruce mortem & diabolum debellavit, eosque ante se in triumphum duxit: *Et expolians principatus & potestates, traduxit confiden-*

Coloss. 2. 14

ter, palam triumphans illos in semetipso. De morte ait S. Athanasius: *Mors S. Athanasii. Christum metuens, ad ipsum non audebat accedere, Christus autem inclinato capite q. 6 ad Auentum vocavit; Diabolus vero stabat à dextris Crucifixi Redemptoris, ob-*
servaturus an aliquod peccatum vel minimum per totam Christi vitam posset deprehendere, & quia nihil invenit nisi propriam confusionem, quanto citius ab illo discessit. Accedamus nos, anima Christiana, ad morientem Jesum per piam contemplationem, & discamus ab eo, quomodo pariter animam nostram in manus Patris commendemus. Hinc rectè dictus S. Athanasius: Cum in cruce dicit: Pater in manus commendo spiritum meum, in eo omnes homines apud Patrem deponit, ac commendat per ipsum & in ipso vivificandos: Membra enim sumus, & multa ista membra unum corpus sunt, quod ipsum Ecclesia est. Omnes ergo in se Deo commendat. Unde rectè Sancta Mater Ecclesia statuit, ut quotidie ille Versus: In manus tuas commendo spiritum meum in Completorio sub noctem caneretur, ut doceret nos, quando cubitum imus, animam nostram DEO commendare, quia multis de nocte ex catharro, suffocatione, apoplexiâ & aliis accidentibus subitanæ mortis occurrunt pericula. Quem Versum etiam usurpare solent moribundi. S. Raymundus de Pennafort mortuus est in iisdem verbis in manus tuas Domine commendo spiritum meum, item S. Nicolaus Episcopus, de quo Ecclesia: Suspi-
ciens in cœlam, cum Angelos sibi occurrentes intueretur, illo psalmo 6. Decembr. pronuntiato: In te Domine speravi, usque ad eum locum, in manus tuas commendo spiritum meum, in cœlestem patriam migravit. Item S. Ludovicus Galliarum Rex pientissimus, S. Basilius & innumeri alii; utinam & nos, optime Lector!

Dixit autem moribundus Salvator noster hæc verba cum valido clamore: *Et clamans voce magna Jesus ait: Pater in manus tuas commendo spi-*
ritum meum. Et quare sic clamans expirare voluit? R. 1. Ut suam & vivendi & moriendi potestatem orbi testaretur, prius enim dixerat: Ego
pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso: Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Clamans expirare voluit. 2. Ut animis nostris intonaret; quousque peccata nostra ipsum deduxerint, ad iniquos iudices, ad cruentam columnam, ad supplicii locum, ad funestam crucem, ad ipsam mortem. Clamans expirare voluit. 3. Ut doceret quàm vehemens ipsi dolor fuerit tam exterior, quàm interior; de dolore exteriori ait Propheta: Si est dolor sicut dolor meus, sed non minor fuit dolor interior,
cum prævidit, quòd tam cruenta passio in tot hominum millibus esset perdita, qui sponte in æternos ignes essent ruituri. Clamans expirare voluit. 4. Ut instrueret nos in periculis, morbis ac præsertim in-
stante

Gimber Unus pro omnibus.

Bbb

stante

stante morte clamare ad DEum, quia nullius innocentia ab insidiis diaboli satis secunda est, si enim Cerberus ipsi Christo in extremis adhuc insidias struere voluit, quanto magis tuo insidiabitur calcaneo, hoc est fini vitæ. Clamans expirare voluit. 5. Ut nos furdos à scelerum lethargo suscitaret, unde monet Apostolus: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Clamans expirare voluit. 6. Ut moriens nos ut mortuos ad vitam revocaret. Sic Lazarum evocans è sepulchro voce magna clamavit: *Lazare veni foras.* Hinc illa Romani ducis liberrima confessio: *Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait, verè hic homo Filius Dei erat.* O anime mi! Quid agis, dum hæc consideras? Ecce salus tua ac mea in patibulo expirat, Deus patitur, Christus occiditur, Veritas opprimitur, vita moritur, ut viverent mortui; percutere cum turba morti Christi præsentem pectus tuum, & revertere, de vitio ad virtutem, de morte ad vitam.

Ephef. 5. 14.

Jo. 11. 43.

Marc. 15. 39.

Jo. 19. 30.

5. *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Quid hoc est ô mi Jesu! Alii morientes primò emittunt spiritum, & deinde inclinant caput, tu verò prius caput inclinasti, & exinde emisisti spiritum? Magnum hic latet mysterium, inspiciamus, & levemus capita nostra, quoniam appropinquat redemptio nostra. *Inclinato capite tradidit spiritum.* 1. Ut non necessitate, sed voluntariè se mori ostenderet; ita S. Chrysostr. *Inclinato capite tradidit spiritum.* 2. Ut ostenderet, quòd moriebatur ex obedientia, Patri obediens usque ad mortem; ita Antonius Gliffandus. *Inclinato capite tradidit spiritum.* 3. Quia cum omnium peccata portaret, eorum onere summè gravabatur, unde caput inclinavit. Ita Lanspergius. *Inclinato capite tradidit spiritum.* 4. Ut ultimum vale dilectissimæ & nunc afflictissimæ Matri juxta crucem stanti diceret; ita dictus Lanspergius. *Inclinato capite tradidit spiritum.* 5. Quasi plagam Occidentalem salutaturus; Hierosolymis & plagis Orientalibus dorsum vertit, versus autem Europam faciem ostendit, & caput moriens inclinavit, ubi Ecclesiam fundare voluit. *Inclinato capite tradidit spiritum.* 6. Ut tanquam felicissimus Caduceator momentum cum clamore valido humano generi annuntiaret, quo Patri aeterno reconciliati sumus, ac in signum reparatæ amicitiae osculum veluti terræ dedit. Ita Larson. *Inclinato capite tradidit spiritum.* O sublime mysterium! DEus moritur, quis hoc assequi potest, & quidem pro te moritur, quid rependes, ne sis ingratus tanto Benefactori? *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Resolve te.*

S. Chrysostr.
hom. 84.
Gliffand, qu.
302.

Lansperg. ho.
52. de Pass.
idem ibidem.

Larson, de
Pass. Dom.